DE PLATONIS POLITIAE LIBRIS PRIMIS QUATTUOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PROPOSUIT

AUCTOR

ALBERTUS HOCHHEIM

THURINGUS.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT ADOLFUS KNICKMEYER, WALL-STR. 75.

De Platonis Politia maximeque de totius scripti consilio qui dissererent multi admodum fuerunt viri et docti. Quorum quamquam in nullius omnia verba juro, prae caeteris tamen Steinharti mihi sententiam probari fateor, qui neque in quaestione de justitia neque in disputatione de optimo civitatis statu dialogi argumentum cerni censet, sed in idea boni, quatenus ut prima lex humanam societatem conformet et civitatem. Mihi autem de solis primis quattuor libris dicturo non vereor ne vitio vertatur, quod hos libros quasi a toto corpore disjungam. Quamquam enim omnes libri inter se cohaerent, tamen, cum inde ab initio quinti usque ad finem septimi a proposita de justitia quaestione digressio ad alias quasdam res fiat, illos certam scripti partem conficere apparet, ut privata et accuratior eorum contemplatio et fieri possit neque ad totius dialogi contemplationem inutilis fore videatur. Continentur autem primis quattuor libris, si reliquorum nullam omnino rationem habueris, quaestio de justitia, cujus notionem multis modis antea significatam Socrates in l. IV p. 433 A assequitur, et disputatio de civitatis origine ac natura. Quae res quomodo inter se conjunctae sint, in enarrandis singulorum librorum argumentis mihi exponendum erit. Jam priusquam ad ipsum opus aggrediar, de Cephalo Polemarcho Thrasymacho in primo libro cum Socrate colloquentibus pauca proponam, de Glaucone autem et Adimanto fratribus, ad secundum librum cum pervenero, dicere mihi in animo est, Socratis vero sermo et disserendi ratio, dum ipsorum librorum argumenta exponuntur, satis illustrabuntur.

Ac primum quidem in Cephalo, sene grandaevo, omnes fere insunt mores, qui in senibus inveniri et amari solent. Quamquam ob vires magis in dies consenescentes se non jam ad juventutis voluptates et gaudia aptum esse sentit, tantum abest ut multorum senum more queratur semper et morosus ac difficilis sit, ut voluptatibus illis non tam privatus quam liberatus esse sibi videatur. Alia enim et ea quidem majora gaudia, quam quibus caret, assecutus est, quorum hoc maximum est, quod ex societate et consuetudine cum aliorum hominum tum senum aequalium percipit. Ad urbem cum per aetatem non jam ipse commeare possit, alii donum ejus conveniunt, coram quibus aut temporum praeteritorum memoriam repetit aut quorum usu, si non ipse, at filii sui ut doctiores fiant studet.

Ipse quae dicit quamquam certis quibusdam finibus continentur et quamquam in eis ipsis rebus narrandis nimis longus et loquax videtur, quod quidem aetati senili conceditur, tamen prudentes, quas partim Simonidi et Pindaro debet, prae se fert sententias, et quae cum animi ejus probitate et bonitate conveniunt. Cum enim rem familiarem a patre acceptam non tenuem illam quidem sed multis partibus minorem, quam qualem ille a patre acceperat, ita se aucturum esse speret, ut hereditate, quae avo obtigerit, non inferior, sed paulo saltem major sit: tamen non in divitiis, sed in ipsius hominis moribus animoque contento felicitatem inesse persuasum habet. Quamquam divitias ad animi tranquillitatem et securitatem pertinere posse concedit, quod diviti, qui quidem sapiens sit, suum omnibus reddere liceat, pecuniam hominibus, deis sacrificia. Et per totam eum vitam hoc unum maxime egisse, ne quem invitus deciperet aut falleret, neu cui, cum moriturus esset, quidquam deberet, ex omnibus fere verbis ejus liquet. Quod autem qui vitam suam injuste et impie degerit, ei in Tartaro meritas poenas solvendas esse fabulis traditum est, quae quo propius ad mortem aecedit, eo magis ei verae esse videntur, hac potissimum de causa justitiam omnemque virtutem exercet, solius utilitatis causa deorum cultum tam studiose observat. Intrante Socrate sacris confectis in hemicyclio sedet, sacra curaturus abit, postquam ille sermonem familiarem ad dialectiae disputationes traduxit, quibus imparem se esse sentit.

Contra Polemarchus filius ejus, quem ex Phaedro p. 257 B ad philosophiae studium se contulisse constat, quaestionem de justo, ad quam oratio deducta est, fortiter et parato animo suscipit. Sed inhaeret in levibus aut perniciosis vulgi opinionibus, et in subtiliore

disserendi ratione acutisque verborum distinctionibus hospitem eum esse ac peregrinum ex omnibus fere responsis ejus apparet. Quam autem ut sententiam Simonideam affert, justum in eo esse, si, quae cuique debeantur, reddantur, quod ignorans Socrates, hoc si postulet, ut amicis utilitas, inimicis damnum reddatur, divitum hominum cuipiam multum pollenti tribuit, scilicet qui impune nocere et injuriam facere velit, quam prope Polemarchus a Thrasymachi judicio absit cognoscitur, ad cujus tamen turpes et inhonestas sententias non progreditur. Exorditur a Simonidis illo vel alius cujusdam dicto minime inepto, quod quatenus verum sit non videt, sed falsa cum veris dum sine judicio constantiaque miscet et vagis verbis acquiescit internamque justitiae naturam minime percipit, tota ejus disputatio infirma fit et ad errorem illum perniciosum deducitur, deberi amicis utilitatem, inimicis damnum. Justitiam, quam ipse humanam esse virtutem concedit, non posse omnino nocere neque injuriam facere eum latet multasque res simplices admodum nisi exemplis allatis non intellegit, quare Socrates non accurate sententiam ejus refutat, sed captionibus nonnullis dialecticis usus. Cum ille justitiam amicis prodesse, inimicis nocere, ideoque in impugnando et propugnando adhiberi dixisset, efficit, ut non pugnantibus inutilis sit. Quod cum ille neget, etiam in pace eam utilem esse ratus in negotiis quibusdam, Socrates hoc ita se habere concedit, nullo tamen alio casu, quam si res conservandae vel custodiendae sint, neque ullus earum usus fiat, ut justitia ad inutilia utilis sit. Deinde Polemarchus eo devenit, ut justum hominem res traditas servare, alienas furari scire et justitiam furacitatem quandam esse sequatur. Non videt ille ipsius Socratis furacitatem, quem cum refutare non possit, se non jam scire dicit quid ipse dixerit. Sufficiant haec ad illustrandas sententias disserendique rationem Polemarchi, qui caeteroqui Socrati amicum, omni in re sincerum et discendi cupidum se praestat, meliora docenti obtemperat et ex hoc utique errore eripitur, quod censebat cadere in justum hominem cuipiam nocere.

Acrius Socrati cum Thrasymacho, sophista Chalcedonio, certandum est, qui importune et ferociter in medium procedens omnibus qui adsunt terrorem sui incutit et nugis Socratem et Polemarchum abstinere jubet, excusatione autem utentem illum veniamque petentem superbe irridet, ut quem tergiversaturum esse antea sciverit. Polemarcho doceri se patiente ac studente hic ipse docturus est, si Socrati sibi pecuniam solvere velit, cujus interrogandi rationem acerbe odit et vituperat. Ipse ambitiosum et

arrogantem se praebet sententiampue suam, quippe quae sola vera et pulcra sit, omnes ut probent admirentur laudent postulat. Quamquam cum justitiam esse id, quod potentiori conducat (τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον), statuat, recte quam vage loquatur Socrates eum docet allato Polydamantis pancratiastae exemplo, cujus corpori maxime conducat caro bubula, quae tamen non sit justitia. Utique quod dicere voluit alio modo ei dicendum erat, ita ut statueret, justum esse non, quod potentioribus conduceret, sed in eo cerni, ut fieret quod potentioribus conduceret. Caeterum vocabulum ‚τοῦ κρείττονος' non accurate adhibitum sed ambiguum est, quem, quatenus sit κρείττων sive potentior, non errare censet. Est hoc non potentioris (principis), sed sapientis, ut quodammodo ipse Thrasymachus cum Platone consentiat „soli sapienti regnandum esse" statuente. Quamquam autem melius quam Socratem se posse ἀκριβολογεῖσθαι confidit et gloriatur, tamen identidem a causa digreditur furtimque mutatis verbis ad res prorsus alienas transit, neque Socratem parum accurate ratiocinantem, justum, quia bono et sapienti similis sit, esse bonum et sapientem, pariterque injustum esse malum et insipientem, dolo uti videt. Dupliciter autem a se ipso dissentit illo exemplo, quod Socratem puero non emuncto similem esse demonstraturus affert (p. 343 A. B), nescire illum pastores, cum greges pascant, non gregum, sed suam spectare utilitatem. Affirmaverat enim paullo ante se de eis tantum regnantibus reliquisque artificibus aut opificibus dicturum esse, qui vere tales artifices opificesque essent. Sed ut veram illam ejus sententiam esse statuamus, altera invenitur dissensio. Pastores enim cum potentiorum servi sint, ex eadem illa sententia servos non dominorum sed suam spectare utilitatem apparet, quod secundum Thrasymachum se contra habet. Sed se reprehendi, quod falsis aut vagis obscurisque verbis usus sit, aut quod colloquentis sententiam non satis animo perceperit, aegre et indigne fert. Postquam sententiam ejus de justo infirmam esse factam et conversam omnes qui adsunt cognoverunt, ipse tantum abest ut meliora docenti Socrati gratiam habeat, ut ipsum aspere ac rustice stultitiae et simplicitatis insimulet. Recte igitur Socrates (p. 341 C) furentis esse eum aggredi contendit, quippe qui aggredientem mordeat. Quem Thrasymachus sententiam suam confutantem insolenter accusat, quod philosophando nihil aliud agat, quam ut aliorum orationi noceat, quin sycophantam eum appellat et per ironiam in calumniando eum pergere jubet: nimirum de aliis ex suo solius animo judicat. Et saepius cum causam suam deteriorem esse

factam neque quidquam se posse proficere videt, tali ironia utitur, quae tamen nullo modo cum Socratis illa faceta et urbana ironia comparari potest. Quamquam autem toti Socratis orationi concedere cogitur, singulos tamen orationis laqueos non raro prospicit et vitat. Itaque Clitophonti (p. 340 A B) se juvare studenti et suadenti, eam regnantis utilitatem intellegendam esse, quae regnanti talis videatur, resistit et adversarii saepe ita declinat impetum, ut non simpliciter dicat ‚ἔστιν', sed ‚ἔστω' aut ‚οἶμαι' aut ‚ἔοικεν' aut ‚φαίνεται' aut talia responsa det, quae in utramque partem accipi possint (ut p. 351 B). Studet utique semper sibi constare itaque ad extremas usque et periculosissimas sententias descendit: justitia cum potentioris et regnantis utilitas sit, proprium autem parentis damnum, solam injustitiam exercendam esse, quae bonum afferat consilium in omnibus vitae condicionibus atque virtus sit et sapientia, et ut quaeque injustitia perfectior sit, eo praestabiliorem eoque magis eam virtutem esse et sapientiam. Sed quamquam sententiarum suarum rationem reddere non vult, simulans se ne Socrati contionari videatur cavere, tamen postquam mitior factus est et indignari desiit, haec ei concedere cogitur: esse justitiam virtutem et justum hominem potentiorem et feliciorem esse injusto.

Jam vero transeamus ad ipsum

Primi libri argumentum.

Socrates cum e Piraeo in urbem reversurus esset, a Polemarcho Cephali filio revocatur, qui eum secum in patris domum abducit adventu illius vehementer gaudentis et saepius se filiosque convenire eum jubentis. Ex hoc, qui, quanto magis corporis voluptates sibi evanescant, tanto majus in dies desiderium sermonum fieri affirmat, statim Socrates quaerit, quid de senectute, quam jam ingressus sit, judicet, num aspera molestaque sit an facilis et expedita. Is ab aliis senibus se dissentire dicit, quod quae illi mala senectutis afferant, ipse solis hominum moribus vitio vertenda esse arbitretur. Meae quidem, inquit, senectuti levamenta quaedam sunt, quibus alii senes carent, dico divitias, sed in omnibus hominibus, modo moderati simus et sapientes, facultates insunt tolerabilem reddendi aetatem senilem. Possunt tamen utiles esse divitiae. Quo enim quis propius ad mortem accedit, eo magis apud inferos poenas sibi dandas esse pro omnibus, quae in terris deliquerit, meminit itaque plenus fit curae et angoris. Contra divitibus

quieto animo vita excedere licet, quod, si quidem sapientes sunt, semper juste recteque vivent, nullum umquam fallent aut decipient, nulli sive homini sive deo quidquam debebunt. Hoc igitur, inquit Socrates, tu justum dicis esse, „verum dicere et reddere quod ab aliis acceperis.“ At fieri potest, ut res acceptas reddere justum non sit, velut si quis arma, quae cum sapiens esset, alteri permisit, furore captus reposcat.

Jam sermone ad justitiam translato Cephalus abit et disserendi locum filio suo Polemarcho tradit, qui cum Simonidem eodem modo quo patrem suum judicare dicat, ut justum sit reddere, quae cuique debeantur, ipse quoque in ea sententia est eamque defendere studet. Ac recta quidem sententia illa recte sentientibus atque cogitantibus videbitur, debita enim reddere certe *δίκαιον* est neque tamen *τὸ δίκαιον*, est pars vel species quaedam justitiae, non justitia ipsa. Socrates, ut mos ejus est, ipsum se quid Simonidis dictum illud sibi velit ignorare simulat, sapienti autem et divino homini cum diffidere non facile sit, sibi et Polemarcho accuratius in rem inquirendum esse. Vidimus, inquit, fieri posse, ut, quae alter alteri sapienter crediderit, ea insipienter reposcat. Num huic reddere postulata justum putas esse? Hic ille: Malum amicis non debetur, sed bonum tantum, ut amico debita referre, quae damno ei futura sint, nullo modo justum sit. Contra inimicis, quidquid debetur, reddendum est, debetur autem eis id quod convenit, malum. Jam Socrates e Polemarchi sententia Simonidem hoc dicere affirmat, justum in eo esse, ut quod cuique conveniat reddatur, idque illum appellasse debitum. Quod postquam Polemarchus, quamquam illa verborum distinctio non eo pertinere videtur, concessit, sic pergit: Quemadmodum ars medicorum corporibus medicamenta panem potionem ut res debitas atque convenientes reddit, ars culinaria cibis saporem: sic jnstitia ea ars est, quae amicis et inimicis utilitatem et damnum reddit, quae illis bene, his male facit. Ut autem amicis bonam, inimicis malam afferre valetudinem medicus potest vel gubernator na igantes et in periculum adducere et ab eo prohibere: ita Polemarcho justus amicis prodesse, inimicis nocere videtur in impugnando et propugnando. Quod autem justitiae vim tantum in pugnis cerni censet, fieri non potest quin statim sententia ejus infirma fiat. Non aegrotantibus enim medicum, non navigantibus gubernatorem inutilem esse concedit: justum non pugnantibus inutilem esse negat. In sequentibus ita loquitur Socrates, quasi Polemarchus in sola pace justitiam cerni concesserit, quam fraudem hic non videns

jam esse eam ad pactiones utilem dicit. Sed discit a Socrate quomodo dicendum sit, ut una quaeque res sit clara ac perspicua. Pactiones, inquit ille, multae sunt. Quarum quam tu dicis esse justitiam? Dico, inquit, eam, quae ad pecuniam pertinet. Cum ne hoc quidem responso Socrates contentus sit, additur esse quidem justitiam positam in pactionibus pecunariis, non tamen si ad utendam sed ad conservandam pecuniam spectetur. Ita efficitur aliarum quidem artium vim in usu rerum cognosci, vim justitiae in eo, quod custodiet atque conservet ea quidem, quorum nullus usus fiat, ut non ita sancta res justitia esse videatur ad inutilia tantum pertinens. Jam vero, inquit Socrates, hoc consideremus: In pugilatu sive alia quadam in pugna ut quisque ad infligendam, ita ad arcendam plagam aptissimus solet esse; nec minus quicunque morbum prohibere, idem clam inferre potest; boni autem castrorum custodis est hostium et consilia et alias res surripere et quasi furari: denique cujus rei quis aptus custos est, ejusdem est aptus fur, unde justitiam furacem quandam artem esse patet, quae amicorum utilitatem, inimicorum damnum appetat. Atque per ironiam blanditurus Polemarcho hac in re illum Homeri exemplum sequi videri simulat Autolycum admirantis et laudantis, qui omnibus hominibus praestiterit *κλεπτοσύνῃ θ᾽ ὅρκῳ τε.* Quantum autem inter justitiam et furacitatem intersit ipse Polemarchus sentire videtur, itaque se non jam scire dicit, quid ipse dixerit, in ea autem sententia se perstare prodesse justitiam amicis, nocere inimicis. Tum Socrati interroganti, num amicos eos dicat, qui probi videantur, an qui sint, etiamsi non videantur, secundum naturam quidem esse respondet, ut quos quis pro probis habeat, eos amet, quos pro malis, eos oderit. Meminisse eum Socrates jubet saepenumero homines errare, ita ut multi probi, multi mali videantur, qui non sint. Isto modo errantibus bonos esse inimicos, malos contra amicos, justumque fieri malis prodesse, bonis nocere. Sed cum boni sint justi neque ullam injuriam faciant, quomodo eis male facere licere? Justitiam autem justitiae non male esse facturam ipse Polemarccus persuasum habet ideoque mutandam sententiam suam esse censet ita, ut injustis nocere justum esse Socrati concedat. Haec quamquam nulla omnino definitio est, quippe in qua res quaesita se ipsa declaretur, tamen Polemarchus hoc dictum ut praestantius illo laudat. At, inquit Socrates, cum multos errare viderimus, his justum videri debet amicis ut malis nocere, inimicis ut bonis prodesse, ut nostra sententia prorsus contraria ac diversa fiat ab sententia Simonidea. Nec mirum est, inquit

Polemarchus, nos ab errore profectos in errorem adductos esse. Amici enim non sunt ei qui probi videntur, sed qui probi et videntur et sunt, atque eodem modo de inimicis statuendum. Superius igitur judicium hunc in modum mutat: justum est amicis, si boni sunt, bene facere, inimicis, si mali sunt, nocere. Sed facile Socrates etiam hanc ejus sententiam refellit. Num hominis justi, inquit, esse putas cuiquam nocere? Nam ut canes, ut equi, quibus noceas, pejores fiunt etiam in sua ipsorum virtute, ita etiam homines, quibus noceas, in humana virtute pejores fieri oportet. Sequitur ut justitia, si homini nocet, eum pejorem reddat in justitia, quippe quae sit humana virtus. Nulla autem virtus quemquam pejorem reddit. Ut enim musica nemo qui non sit musicus, neque arte equitandi quisquam inhabilis fit ad equitandum, ita cum nulla virtute boni malos, tum nulla justitia justi injustos reddent. Sic apparet non esse justi cuiquam sive amico sive inimico nocere, sed injusti. Quicunque igitur, cum dicit justum in eo esse, ut reddantur quae cuique debeantur, nihil aliud dicere vult quam inimicis deberi a justo viro damnum, amicis utilitatem, non sapiens ille videtur. Quod nec Simonidem nec Biantem nec Pittacum nec sapientium alium quemquam dixisse credibile est, sed fortasse divitum cuipiam dictum illud tribuendum est, justum esse amicis prodesse, inimicis nocere.

Hoc modo postquam diu quidem sed frustra inter utrumque disputatum est, Thrasymachus, sophista non contemnendus, qui inde ab initio ad totam illorum disputationem diligentissime attenderat et jam pridem dicentes interpellare voluerat, sed ab aliis qui aderant prohibitus erat, jam sibi temperare non potest, quin nugis atque ineptiis illis tandem aliquando finem eos facere jubeat. Ut ferox quaedam bestia vehementer in eos invehitur cohorrescentesque vituperat, quod tam simpliciter stulteque alter alteri cedant, maximeque Socratem, quod semper ille quidem interroget, numquam autem quid ipse de justo judicet dicere velit. Sed ut Polemarchus jure ac merito reprehendi potest, quod nihil fere ex sua ipsius sententia dixerat et ne Simonidis quidem dictum quod sequebatur constanter defenderat, sed Socrati fere singula verba concesserat, sic hic non modo non cessit, nisi forte per simulationem, sed praeivit. Quod autem ipse suum de justo retinet judicium, cum aliis de causis facit, tum quod in Polemarcho hoc ei maximi momenti esse videtur, ut in vagis vulgaribusque de justo opinionibus atque in aliis erroribus eum versari doceat. Quod Socratis consilium cum non intellegat Thrasymachus, crimini ei dat, quod

facilius negotium interrogandi tantum susceperit. Jam ipse respondeat quid justum esse sibi videatur, sed ita, ut nullam proferat vagam definitionem velut justum esse quod oporteat, aut quod juvet, aut quod utile vel lucrosum sit, aut quod conducat, sed accurate atque distincte judicium suum explicet. Ille primo paululum animo dejectus postquam ex timore se recreavit, ne sibi irascatur petit, invitum enim, si peccaverit, se peccavisse. Se enim, ut in ipso auro quaerendo summam curam adhibeat, multo etiam difficilius a quaerenda justitia, quae sibi omnium rerum vel gravissima videatur, amotum iri confirmat, et modo possit, in lucem eam esse prolaturum. Itaque non ira se sed misericordia sapientium virorum dignum esse, ut qui justum quid sit invenire non possit. Quam ille solitam Socratis ironiam esse dicit, qua illum tum quoque usurum esse ipse antea sciverit. Est illa sane ironia quaedam, tamen non talis, qualis Thrasymacho videtur. Non enim aliud prorsus dicit ac verum est, sed cum se nihil scire persuasum habeat nisi id ipsum, se nihil scire, nihil obstat quin neget se habere quid de justitia judicet. Quod autem Thrasymachus se praescivisse dicit Socratem non responsurum esse, in hoc ille lepide philosophi sapientiam agnoscit. Nam qui ab omnibus rebus, in quibus quidem quaestio niti videtur, exclusus est, is non dicet. Thrasymacho exclusum illum esse ab omnibus quae de justitia dici possint negante „At fortasse,“ inquit ille, „disputanti sic videtur, aut fit ut progrediente oratione ad sententiam ejusmodi, quae excepta sit, deducatur.“ Tum Thrasymachus: Ego autem si habeo quid de justitia statuendum sit, num, quod a me discis, pecuniam mihi solves? Securus esse jussus ab illius amicis, queritur illo modo magis magisque Socratis consuetudinem firmari, ut ipse non respondeat sed tantum respondentis verba examinet et perscrutetur. At, inquit ille, neque scio neque scire me dico, sed opinor tantum, quaeque opinor, eorum quidquam dicere vetitus sum a viro non contemnendo. Te contra dicere decet, qui et sapiens sis neque id dissimules, itaque nobis, quaeso, morem geras.

Tandem Thrasymachus, Glauconis aliorumque precibus, ut simulat, commotus, revera quod mirificum quoddam responsum habere sibi videtur, quo maximam sibi gloriam laudemque pariturus sit. „Haec igitur“, inquit, „ars Socratis est ipsum non docere, ab aliis autem circumeuntem discere et ne gratiam quidem referre.“ Sed referre se quam possit gratiam respondet ille, quod laudet et libentissime quidem, quicunque sibi bene loqui videatur, atque ipsum

quoque laudaturus sit, si bene sit locuturus. Jam Thrasymachus, qui vagam ullam sententiam proferre Socratem vetuerit, eloquitur justum esse, quod potentiori conducat. Quam definitionem explicatione egentem hunc in modnm exponit: Civitatum, inquit, cum aliae tyrannice, aliae democratice, aliae aliter institutae sint, qui singulis praesunt (eique sunt potentiores) leges dant suae ipsorum utilitati servientes, tyrannicas democraticas alias. Hanc suam utilitatem justum esse dicunt legibusque his non obedientem ut injustum puniunt, et hac in re omnes civitates pariter se habent, ut ubique nihil aliud justum sit quam regnantium utilitas, quos ille nomine ‚τοῦ κρείττονος' complectitur. Quod num recte dictum sit necne, utile enim quiddam sibi quoque justum videri, jam Socrates exquirendum putat itaque haec illum sibi concedere cogit: Regnantibus quidem parere justum est: cum autem regnantes nonnumquam errent, et bene et male leges eos dare necesse est vel leges, et quae eis utiles et quae inutiles erunt. Sequitur ut justum sit facere non solum quod regnantibus utile, sed etiam quod eis inutile sit. Regnantes enim utilitatem quidem suam spectare, sed non semper cognoscere perspicuum est, justum autem cives, quae a regnantibus imperata sint, facere: unde sequitur, ut si quando inviti regnantes imperant, quae ipsis mala sunt, justum sit facere, quae regnantibus ac potentioribus inutilia sunt, ut justitia non magis ab utilitate quam ab noxa regnantium proficiscatur ad eamque pertineat. Quod Polemarchus rectissime dici profitetur. Hunc cum illi testem esse Clitopho, Thrasymachi, ut videtur, discipulus, aegre ferat, ipse hujus sententiam suscipit. Quid, inquit, teste opus est? Ipse Thrasymachus concedit regnantes interdum imperare, quae ipsis mala sint, justum autem esse cives illa facere: quae enim a regnantibus imperantur, ea facere justum statuit. Hauc definitionem aliam esse atque superiorem, secundum quam justum *τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον* sit, Polemarchus dicit (in quo tamen errat, nam ex Thrasymachi sententia formas tantum diversas ejusdem definitionis esse patet). At, inquit Clitopho, Thrasymachus nihil aliud appellat *τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον*, quam quod quisque sibi utile esse judicat, quasi hac mutatione novum aliquid efficiatur et ille juvetur. Hanc tamen sententiam recte ille rejicit: sed cum cognoscat, quantopere judicium suum vacillet, aliter jam atque antea statuit. Ut medicus, inquit, quatenus de aegrotantibus errat, non medicus appellatur, nec dialecticus, quatenus argumentatione errat, dialecticus: sic opificum, sapientium, regnantium nemo errat, sed deficiente scientia errans

errat, dum non est opifex. Quatenus autem non errant, constituere eos oportet quod ipsis optimum est, idque civibus faciendum est, ut quod ab initio, idem nunc quoque justum esse dicam, scilicet facere quod potentiori conducat. Sic sophista optime docuit, quomodo sententia sua accipienda esset, jamque nec per insidias nec per vim verbis suis noceri posse pro certo habet. Sed Socrates hac ipsa accurata definiendi ratione Thrasymachea Thrasymachum refellere studet, ideoque eum sententiam suam repetere atque confirmare jubet, eum intellegendum esse regnantem, non qui dicatur, sed qui vere sit. Jam sic Thrasymacho consentiente argumentatur: Singulae res velut corpus oculi aures per se non perfectae sunt. Non enim satis est corpori corpus esse, sed arte medica eget, oculi autem et aures visu et auditu. Contra artes ipsae, quae quidem vere artes sunt, alius artis auxilio non egent, nihil aliud enim eis conducit, quam ut unaquaeque sit quam maxime absolnta. Egent auxilio, ad quos artes pertinent, aegroti arte medica, nautae arte gubernatoria. Sed ut arti nulla alia ars, sic ne ipsa quidem sibi necessaria est, neque enim in arte pravitas aut vitiositas ulla inest, sed integra semper et inviolata unaquaeque est. Sequitur ut neque ars medica neque ars equitandi neque reliquae sibi prospiciant, sed eis, ad quos pertineant. Regnant autem artes et potentiores sunt eo, ad quem pertinent. Nulla igitur ars, quod potentiori conducit, aut prospicit aut imperat, sed, quod inferiori conducit, parat. Inde cognoscitur artem medicam non quod medico, sed quod aegrotis utile sit, prospicere aut imperare, artem gubernandi non quod gubernatori, sed quod nautis conducat et inferioribus. Denique in nullo, inquit, imperio, quatenus imperium est, qui regnat, siquidem vere regnat, id quod ipsi utile est spectat aut imperat, sed quod eis, qui sub imperio sunt, prodest, et ad eorum tantum utilitatem verba et facta sua accommodat. Haec ut Socrati concedat Thrasymachus vix ipse quidem a se impetrat, sed cum contra dici non possit, omnes qui adsunt Thrasymachi sententiam infirmam esse factam cognoscunt.

Ipse tamen Thrasymachus tantum abest ut a causa sua recedat, ut maledicta atque ludibria in illum conjiciat, qui bubulcos opilionesque ignoret non id, quod bobus ovibusve bonum sit, spectare, sed cum eos pascant alantque, nihil aliud agere quam quod dominis sibique ipsis bonum sit. Neque aliter, inquit, regnantes, qui vere regnant, in cives animati sunt, idque solum per dies noctesque meditantur, unde ipsi juventur. Non videt Thrasymachus hauc suam sententiam cum eis, quae ipse proposuerit, non conve-

nire, sed tamquam in suo jure sit, Socratem ut dementem atque imprudentem vituperare pergit. Scilicet fugere illum, justitiam, potentioris cum utilitas sit, alienum esse bonum, suum autem obedientis atque servientis damnum: qui vero injustus sit, eum dominari in homines simplices justosque, qui illius tantum utilitatem parent, suam neglegant. Hominem autem justum inferiorem semper discedere, hinc, inquit, apparet. Nam et in negotiis argentariis et in rebus civilibus justus sibi nocet, alter sibi prodest, et si quod munus alteruter susceperit, justus non modo sibi non proderit, sed et suas res neglegere cogetur et in civium etiam odium incurret, quod contra justum eis gratificari nolit: de homine autem injusto res prorsus contra se habet, maximeque de eo, in quo perfectissima est injustitia, dico tyranno, qui non per singulas partes sive clam sive vi sacra profanaque, privatas publicasque possessiones diripit, sed summa potiri cupit. Qui enim in singulis rebus peccant, velut sacrilegi fures latrones praedones, si deprehensi sunt, poenis afficiuntur et male audiunt. Qui autem praeter civium bona ipsos etiam in servitutem redigunt, ab omnibus laudantur ac praedicantur, quamvis omnis eorum injustitia pateat. Qui vere injustitiae maledicunt, non facere sed pati injusta verentur. Itaque et potentior et liberalior et imperiosior est injustitia perfecta quam justitia.

Cum alii, tum Socrates, qui haec Thrasymachi verba perattente audivit, ab eo jam discedere parante petunt, ut diutius remaneat apud se et orationis suae multae et copiosae rationem reddat. Non enim, inquit, de re levi agitur, sed qua vivendi ratione utilissimam quisque degat vitam. Thrasymacho hoc ita se habere neganti tamen docendos se ab eo esse respondet, quid se scire profiteatur. Se quidem ipsum nullo modo sibi persuadere injustitiam justitia esse lucrosiorem, ne si prohibeatur quidem facere quae velit. Significat his verbis philosophus injustitiam non solum extrinsecus sive ab aliis hominibus sive legibus coërcendam esse, sed intrinsecus vel ab ipso homine, quo in genere sententia ejus maxime a sententia illius differt. Thrasymachum autem nescientem, quomodo, cum nondum ei persuaserit, ei omnino persuadere possit, constare quidem sibi jubet aut, si sententiam sit mutaturus, aperte eam mutare neque ulla fraude uti. Cum enim verum medicum definiverit aegrogantium curatorem, prorsus aliter eum de pastore judicasse, quasi, quatenus pastor sit, sibi ipsi prospiciat. Ipsam enim artem pastoralem nihil ultra requirere, quam ut sit quam optima, pariterque omne imperium, quatenus sit imperium, ejus tantum utilitatem spectare sibi videri, cui imperet, et in civilibus

et in privatis rebus. Hoc demonstraturus, regnantes non suam utilitatem quaerere sed eorum, quibus imperent, Socrates hunc in modum ratiocinatur: Artes inter se nulla alia re differunt, quam quod alia alii vis est. Quod autem unam aliquam vim habet, id unam sui propriam habeat utilitatem necesse est, velut ars medica bonam valetudinem, ars gubernatoria securitatem navigantium, ars mercenaria mercedem praebet. Cum igitur uni arti una sit utilitas, ea utilitas, quae omnibus opificibus communiter obtingit, eo gignitur, quod cum arte sua aliam quandam unam eandemque conjungunt. Sequitur ut opifices aut artifices id juvent, quod ipsis propositum sit, mercedem autem ab sola arte mercenaria assequantur. Nam fieri potest ut gratis laborantes idem juvent eandemque afferant utilitatem, quam mercede laborantes. Nulla igitur ars nullumque imperium sibi, sed quibus imperat, utile quo egent parat, regnantesque ea de causa inviti regnant et aliena mala capessentes mercedem petunt, sive pecuniam sive honorem, poenasque dant qui regnare nolint. Hic Glauconem non intellegentem quid poena illa sibi velit Socrates monet cupiditatem honoris aut pecuniae probrum et dici et esse, probrumque illud bonos fugere solere. Itaque necessitatem quandam aut poenam eis imponendam esse, ut velint regnare. Num autem poenam ullam esse majorem quam a pejoribus regi? Quam verentes regnare videri regnantes neque ad imperium tamquam ad bonum quid accedere, sed tamquam ad rem necessariam, quod non sint alii ulli se meliores aut sibi pares. Nullo igitur modo se concedere justitiam potentioris utilitatem esse. Sed ad hanc, inquit, quaestionem alias revertar, nunc, quod Trasymachus injusti vitam meliorem esse duxit quam justi, hoc mihi considerandum videtur esse. Qua de re interrogatus Glauco, quamquam quanta bona injustitiae Thrasymachus tribueret audiverat, tamen justi vitam utiliorem (i. e. meliorem) esse censet. Quod ut illi persuadeatur, cum Glauconi longiorem utrosque conficere orationem et, altera alteri opposita, bona quae ille injustitiae quaeque ipsi justitiae allaturi sint enumerare et quasi metiri non placeat, Socrates ratione instituta quaestionem repetit et pergit. Quod ille perfectam injustitiam perfecta justitia utiliorem dixerit, quodque altera virtus, altera vitium sit, Thrasymachum justitiam virtutem, injustitiam vitium esse dicturum. Quod ille, cum in sua sententia sibi constet, negans justitiam non vitium quidem sed *γενναίαν εὐήθειαν*, injustitiam *εὐβουλίαν* appellat atque Socrati concedit esse injustos, qui quidem nomine suo digni sint, etiam prudentes et bonos, et esse sane positam injustitiam in virtute et scientia, justitiam in rebus contrariis.

Nec dubitat injustitiam pulcram ac firmam dicere aliaque ei tribuere, quae soli justitiae tribui solent. Tamen Socrates, quamvis difficile ac durum videatur, a perscrutanda re non depellitur, sed Thrasymachum etiam haec sibi concedere cogit: Justus neque justo homine neque justa actione plus habere vult, injusto autem homine; injustus autem justo injustoque homine, justa injustaque actione plus habere vult. Justus igitur non similem quidem sed dissimilem, injustus utrumque superare studet. Injustus autem prudens cum sit et bonus, justus neutrum, prudenti et bono ille similis est, justus dissimilis. Nam qualis quisque est, tali similis est, sive quibus quis similis est, talis est. In hoc quamquam inesse calliditatem nemo non videt, tamen Socrates in eo quasi fundamento nititur, ut quam jam instituat ratiocinationem vacillare negari non possit. Thrasymachus autem fraudem non deprehendit, sed porro haec Socrati concedit: Musicus prudens est et bonus, non musicus imprudens et malus. Ut autem musicus in fidium nervis vel contendendis vel remittendis musico viro plus habere non cupit, sic ne medicus quidem alio medico in cibo atque potione. Sed non musicum et eum, qui non est medicus, superare cupiunt idque in unaquaque scientia et inscientia pariter se habet. Inscius autem, qui idem malus et insipiens est, et sciente et inscio, i. e. et dissimili et simili homine plus habere cupit; sciens autem sive bonus et sapiens solo dissimili homine. Quo in genere cum justus bono et sapienti homini, injustus malo et insipienti similis sit, sequitur ut justus sit bonus et sapiens, injustus insipiens et malus.

Quae omnia Thrasymachus concedit, non facile ille quidem sed quasi coactus multoque cum sudore atque etiam erubescens. Arrogantia autem et superbia, qua antea usus est, jam se abstinet, et cum Socrates sibi non permissurus sit quot velit verba facere, interrogare illum jubet, ipse placiturus illi aliorumque qui adsint odium vitaturus fore ut tantum annuat aut abnuat aut „esse ita“ dicat. Itaque Socrates ad reliquam quaestionem pergens demonstratum esse dicit, justitiam esse sapentiam et virtutem. Ex quo ipso quamquam potentiorem quoque et validiorem eam esse injustitia appareat, tamen ut Thrasymacho re vera persuadeat, accuratius se illud demonstraturum esse. Argumentatio autem ejus est haec: Nec civitas nec castra nec praedones nec fures nec aliud tale genus, qui communiter ad rem injustam accedunt, rem suam gerunt, si inter se injuste faciunt, injuria abstinentes id quod sequuntur efficere solent. Nam ex injustitia, discordia odium pugnae oriuntur, concordia et amicitia ex justitia. Cum igitur justitia, ubicumque

est, liberis non minus quam servis odium inferat, efficit etiam ut illi inter se conjuncti facere non valeant. Si igitur in duobus inest, fiet ut inter se dissentientes odium et alter in alterum et in justos congerant; sin in uno est, is sibi ipsi nocebit, inimicus fiet et sibi et justis et deis,' siquidem etiam hi justi sunt. Qui vero, injusti cum sint, aliquam rem conjuncti inter se gesserunt, non omni in genere nec vere injusti sunt, sed fuisse in eis aliquid justitiae, necesse est, quoniam qui perfecte et semper injusti sunt, ne communiter quidem rem ullam gerere valent. Quibus allatis ubi potentiores et validiores esse justos injustis demonstravit, hoc unum, inquit, restat, ut utri melius et beatius vivant exquiram. Unius cujusque rei opus id est, quod aut sola aut omnium optime conficit. Unum quodque autem opus virtutem habet, qua ipsum bonum fit: sola enim virtute bonum fit, vitiositate malum fit aut perit, ut oculi et aures, quibus propria virtus desit, opus vel officium suum male conficiunt. Etiam animus suum opus habet, ut curet regnet deliberet vivat, idque juvante virtute bene efficiet, deficiente virtute male eum curare regnare vivere necesse est. Virtus autem animi cum sit justitia, vitiositas animi injustitia, justus animus justusque homo bene vivent, male homo injustus. Itaque justus homo est beatus, injustus miser. Non autem miserum sed beatum esse utile dicendum est neque ullo modo verum quod Thrasymachus dixit, utiliorem esse justitiam injustitia.

Sic justitia injustitiam, Thrasymachum Socrates vicit. Nec tamen hic victoria sua contentus est. Se enim cena, quam Thrasymachus ei cedendo et mitescendo parare voluerat, non esse fruitum dicit, sed gustasse tantum hinc illinc; quod vero voluerit, hoc se assecutum esse negat. Nam priusquam quid justum sit compertum habeat, se nescire num virtus sit et num in possessione ejus beatitudo contineatur necne.

Secundi libri argumentum.

Patefactis non solum Polemarchi opinionum levitate sed etiam Thrasymachi sententiarum infirmitate ac vanitate Socrati tota de justitia disputatio finita esse videtur, sed nihil nisi prooemium quod dicunt fuit. Glauco enim et Adimantus fratres longiore uterque oratione, quae primo libro confusius aut parum accurate dicta

sunt, denuo tractant et ita quidem, ut non species rerum sed ipsas justitiam et injustitiam spectari jubeant, quod quoniam vulgus non fecerit, de neutra recte judicasse potuerit. Ipsi quae sentiunt, claris verbis exprimunt ipsisque hominum de justo et injusto opinionibus obscuris eam lucem afferunt, ut veri quiddam et recti in eis inesse manifestum fiat. Recte enim justitia vituperatur, injustitia effertur, si bonum et virtus solis in divitiis honore auctoritate potestate cerni putanda sunt. Recte, si poëtis credendum est injustitiam laudantibus ipsosque deos facile conciliari et placari injustosque, modo justi videantur, divinam manere vitam docentibus, injustam vitam utiliorem esse dicunt quam justam. Apparet vulgus veram justitiam veramque virtutem omnino non percepisse, quippe quam non sua voluntate exerceat, sed invitum et coactum. Vera justitia virtusque non in specie aut externis rebus cernitur, sed in ipsius hominis animo, sive deos hominesque latet sive non latet, inest. Quamquam etiam in vulgo sunt qui justitiae plus tribuant, non solum laudantes eam et colentes ob utilitatem quam afferat, sed etiam aliis eam commendantes. Sic omnes in partes de veris falsisque vulgi sententiis et de origine earum fratres disserunt. Prior Glauco ad omnia semper paratissimus verba facit, qui argumentatione ab Socrate et alteris facta minime contentus est. Et quidem illum dicit non persuasisse sed persuasisse videri, omni modo justum esse praestare quam injustum. Thrasymachum autem vituperat, quod, quamquam falsum vulgi judicium secutus justitiam in eis bonis posuerit, quae propter se ipsa minime appetenda sint sed ob solos fructus qui inde percipiantur, tamen animo demisso causam suam celerius deseruerit. Se cupere audire justitia et injustitia quid per se solae sint, omissis quae utramque sequantur, utque recte Socrates injustitiam vituperare, justitiam laudare velit, se ipsum Thrasymachi orationem redintegrantem expositurum esse primum quidem, quid justitiam esse et unde natam vulgus dicat; deinde omnes exercentes eam invitos exercere ut rem necessariam, non bonam; tum ita facientes recte eos facere, multo enim praestabiliorem esse injusti quam justi vitam. Sibi autem ipsi minime sic videri.

Primum igitur de justitiae origine et natura dicturus, injuriam facere, inquit, hominibus bonum, injuriam pati malum videtur, ita tamen ut magis hoc sit malum quam illud bonum. Itaque qui alterum non eligere, alterum non evitare possunt, eis cum aliis pacisci placuit, ne inter se injuriam aut facerent aut paterentur.

Fixis autem legibus pactionibusque justum legitimumque appellant, quod illis imperatur, ut justum inter rem praestantissimam, impune injuriam facere, et pessimam, injuriam pati neque ulcisci posse, medium teneat neque ut bonum aliquod sed ea tantum de causa colatur, quod eis qui injuriam facere non queant auxilium praebeat. Nam data justo et injusto pari potestate faciendi, quod uterque velit, neminem tam adamantinum fore putant, qui in justitia permaneat, sed alterum alterius viam ingressurum esse. Nam ubicumque quis injuriam se posse facere confidat, facere; si minus, fore ut aliis omnium miserrimus et insipientissimus videatur, quamquam homines eum inter se decipientes laudaturi sint, ne sibi ipsis justitiam vituperantibus injustitia patienda sit.

Quo autem clarius quantopere justus et injustus inter se contrarii sint appareat, injustissimum justissimo opponunt, perfectum in suo utrumque genere. Injustus, si quidem recte injustus dicitur, quia res suas sapienter gerit, lateat, dum injuriam facit, necesse est neque deprehendatur, quin etiam justus videatur, quamvis non sit. Ei opponendus est justus, simplex quidam probusque vir, qui non velit justi specie honores et praemia consequi sed justus esse. Qui ut bene probatus sit, maximam injustitiae speciem suscipere neque infamia neque rebus inde sequentibus moveri, sed immutatus usque ad mortem esse debet, ut si ad extremam alter injustitiam, alter justitiam pervenerit, judicari possit, uter eorum beatior sit. Justus autem ille, qui sic animatus est, vincietur, inquiunt, flagellabitur torquebitur excaecabitur, postremo intelleget non id esse agendum ut sit, sed ut videatur justus. Injustus autem, quia pro justo habetur, urbem ad arbitrium suum constituet omnibusque in rebus juvabitur, quod non veretur injuriam facere. Cum igitur certamen vel pugnam inibit, privatim ac publice adversariis superior discedet, idemque, cum omnibus in rebus potentissimus sit ac ditissimus, amicis bene faciet atque etiam deis sacrificiorum ac donorum satis offeret, quin justo homine praeclarius deis serviet, et hominibus quibus volet gratum faciet, ut pro merito dei hominesque hunc magis quam illum colant vitaque multo melior ei parata sit.

Hunc excipit, dum Socrates quid responsurus est, Adimantus, qui cum quae dicta sint non sufficere dicat, fratri auxiliatur. Cum enim Socrates conflictatum se esse profiteatur nec habere jam quo justitiam juvare possit, ille multa addenda esse contendit de laude, quae justitiam, et de vituperatione, quae injustitiam sequatur. Patres

enim, inquit, dum filios cohortantur, justos esse eos jubent, cum non ipsam justitiam laudent, sed bonam, quae inde paretur, famam et privata singulorum commoda. Jactant etiam deorum gratiam benevolentiamque et innumerabilia bona afferunt, quae piis deos dare poëtae dicant: qui enim jus sustineat atque conservet, ei illos fruges dare ac segetes secundas uberesque nec minus gregum copiam ac liberorum, ipsum autem specie Tartari ad piorum virorum compotationes abducere, ubi pulcherrimo virtutis suae praemio aeterna fruiturus sit ebrietate. Eidem injustos a deis summis cruciatibus affici narrant, ut aqua in cribris eis portanda atque etiam vivis infamia et terribilia tormenta subeunda sint, non alia quam quae Glauco in justum, qui videatur injustus, cadere dixit. Sed aliud etiam genus orationum ac sententiarum, quae de justitia et injustitia incebruerunt, dignum est quod commemoretur. Vulgus enim et poëtae quasi uno ore dictitant pulcram quidem esse temperantiam justitiamque, sed difficilem et molestam, lasciviam autem injustitiamque tantum legibus turpem, caeterum facilem esse ac dulcem. Utilius autem justo esse injustum; itaque ut divites, quamvis injustos, praedicant, sic quicunque ignobiles et pauperes sunt, quamvis illis meliores, contemnunt. Ipsos deos dicunt multis viris miseriam et malam vitam tribuisse, alteris alteram sortem. Accedit quod praestigiatores et vates ad divitum domos commeant et sacrificiis carminibusque magicis se illos ab omnibus, quae injuste aut fecerint aut facturi sint, purgaturos esse pollicentur; quoniam suffimentis votisque summissis facile deorum animos flecti ipsi poëtae dicant. Nec solum singulos homines sed totas urbes testibus poëtis se expiaturos esse gloriantur, mortuosque non minus quam vivos mysteriis, quae dicuntur, se esse liberaturos, non sacrificantes autem miseriam manere. Quae si qui juvenes, inquit, audiverint, facile intellegent justum esse nec videri nihil prodesse, sed miseriam tantum ac detrimentum affere, injustum autem hominem, modo justus videatur, divinam vitam assequi. Species igitur veritatem vincere videtur. Latere quidem, si malus sis, non est facile, sed cum aliae res multae, quae non faciliores sunt, geruntur, tum injustus aut persuadendo aut vi efficere potest, ut pro maleficiis suis nulla sibi poena danda sit. Ne dei quidem si sunt, ei metuendi sunt, quoniam eidem poëtae, qui omnino deos esse nos docuerunt, facile eos flecti dixerunt. Juvat igitur injustitia, quam sacrificia sequuntur; nam si justi sumus, nulla a deis poena afficiemur neque vero injustitiae bonis fruemur, injustitia lucro nobis erimus nec minus pre-

cibus deos flectentes poena solvemur. Nullam videmus esse causam, cur justitiam summae injustitiae praeferamus, quam si cum decore adulterino assecuti erimus, et vivi et mortui bene nos habituri simus. Nemo igitur, cui potestas animi aut corporis, opum aut generis sit, justitiam colet sed despiciet et irridebit, neque quisquam sponte justus est, nisi qui natura divina ductus aut veram scientiam adeptus ab injustitia abstinet, aut qui prae mollitie aut aliqua infirmitate injuriam facere non potest. Quod autem vulgo justitia ita extenuata atque abjecta videtur, injustitia ab omnibus effertur, ejus rei causa haec est, quod laudatores injustitiae, vituperatores justitiae nihil respicere solent quam speciem honores dona, quae utramque sequuntur. Ipsam justitiam, ut quae summum bonum, aut ipsam injustitiam, ut quae summum malum sit, nemo adhuc ante oculos nostros proposuit, quo uno fieri potest ut se ipsum quisque cavens ab justo abstineat. Aliorum quidem orationes, qui ut Thrasymachus ea tantum, quae justitiam et injustitiam sequuntur, spectantes utramque pervertunt, accipiendae sunt ac ferendae, sed tibi, Socrates, quippe qui totam vitam in talibus rebus contemplandis degeris et justitiam in optimo bonorum genere posueris, quae cum ob fructus, tum sua ipsorum causa appetenda sint, propositum est, ut non modo justitiam injustitia praestantiorem esse ostendas, verum etiam quales per se utraque, sive deos hominesque lateat sive non lateat, singulos reddens altera bona, altera mala sit.

Socrates igitur Glauconem et Adimantum admiratus vehementerque gavisus, quod, quamquam justitiam injustitiae multo praeferendam esse persuasum habeant, tamen injustitiae causam tam fortiter susceperint, precibus illorum, etsi quo alio justitiam laudet ignorat, cedere coactus est. Sed quaestionem de justitiae natura non ita, ut instituit, peragendam putat, sed aliam viam esse ingrediendam, ut prius in ampliori et grandiori re, in civitate, justitia describatur (id quod facilius sit), quam ad justitiam, quae in singulis hominibus sit, perveniat. Si autem, inquit, civitas quomodo fiat optime verbis descripserimus, etiam justitia et injustitia ejus quomodo fiant intellegemus, unde facile id quod quaerimus assequemur.

Quae jam sequitur de civitate disputatio quo consilio a Platone conscripta sit dijudicare ab hoc opere alienum est. Mihi quidem minime ad solam de justitia quaestionem pertinere videtur, a qua identidem ita abducimur, ut paene oblivisci eam possimus,

quamquam quanti ad justitiae naturam et notionem recludendam sit momenti me non latet. Quae enim Socrates de poësi musica gymnastica similibusque rebus disserit, ea nisi nimia arte adhibita ad solam illam quaestionem vix referri possunt, quamquam ad eam a digressionibus illis non solum revertitur, sed reverti se ipse dicit, cum revertitur. Quod ut accuratius cognoscatur, jam Socratis de civitatis origine et institutione oratio explicanda nobis est.

Fit, inquit, civitas, cum primum unus quisque nostrum sibi solus non satis facit, sed multis rebus eget. Maxime autem necessaria cum sint victus domicilium vestitus, principio civitas ex agricola architecto textore sutore constabit. Sed quae suis quisque manibus fabricatur, eorum alios participes reddit et ipse particeps fit eorum, quae alii fabricantur. Hoc enim student et studendum est ut ab alienis negotiis, quorum quis non peritus sit, vacet, eam autem artem solam exerceat, quam noverit et ad quam natura aptissimus sit. Non enim omnes inter nos similes sumus, sed variae singulorum naturae sunt, ut alius ad aliud opus ministeriumque habilis sit. Inde sequitur ut agricolae ad construendum aratrum nec minus architecto reliquisque ad singula instrumenta fabricanda pluribus fabris opus sit. Quod autem non solum agricolae, sed etiam architecto textori sutori boves ovesque usui sunt, etiam bubulcis aliisque pastoribus opus erit. Nec sine mercatoribus poterunt esse, qui terra aut mari, quibus alii carent, exportent, quibusque ipsi, importent, quoniam singulae terrae vix quantum ipsis satis futurum sit gignent. Atque etiam emptores ac venditores desiderabuntur, qui per totum diem in foro versentur et aliorum negotia curent, ad quae ipsis tempus desit. Aliud quoddam genus est eorum, qui solum roboris usum vendentes a mercede quam accipiunt mercenarii appellantur. Jam cum quodammodo perfecta sit urbs, videndum erit ubinam justitia et injustitia inveniantur. Adimantus quidem an in illorum mutua quadam necessitudine cernantur dubitans a vero non procul abesse videtur, sed diligentius Socrates rem considerandam esse putat neque a consilio desistendum. Homines, inquit, illi primo omnibus in rebus simplices erunt, in cibo vestitu omnique victu; aestate nudis pedibus nudoque corpore, hieme vestiti suum quisque opus facient, epulabuntur autem in stramentis accumbentes ptisanam panemque triticeum in calamis purisque foliis apposita. Nec sale oliva caseo caepa olere cicere abstinebunt, quae quidem res eis concedentur, inque eo victu sani semper erunt et ad summam se-

nectutem pervenient. Sed paullatim ad vitam molliorem et delicatiorem transibunt, ex vera sanaque urbe fiet luxuriosa, in qua tamen justitiam et injustitiam fortasse melius cognoscimus. Non jam contenti sunt rebus necessariis ut domibus vestibus soleis, sed picturam artesque mimicam poëticam musicam movent, aurum et ebur quaerunt, appetunt cultum splendidiorem, novas delicias et voluptates, nec carere possunt paedagogis nutricibus reliquisque famulis. Atque medicis etiam multo magis quam antea egebunt, quoniam nova vita varios morbos afferet. Immensam autem bonorum possessionem dum petunt et necessitatis terminos egrediuntur, hominum etiam copia augescente terra non jam eis sufficiet, itaque vicinorum fines circumcidendi sunt idemque illis faciendum, si in eandem inopiam adducentur: oriuntur certamina et bellum. Novus igitur et separatus hominum ordo instituendus est, ordo custodum vel militum, et cum omnino fieri non possit, ut unus multas artes bene tractet, tum ars militaris a certis quibusdam hominibus inde a pueris summa diligentia exercenda est, quippe cui non res levis sed omnium vel maxime gravis ac necessaria proposita sit, ut urbem custodiat et ab hostium impetu defendat. Custos autem urbis natura nobili cani similis esse debet, qui et oculorum acie praeditus et celer ac validus sit, animo fortis ac promptus. Ut autem adversus hostes asperi et duri, sic adversus cognatos propinquosque lenes sint oportet, id quod non fit, nisi ut boni docilesque canes sola scientia inscientiaque amicum et alienum aspectum discernere possunt. Esse igitur eos oportet dociles et quasi philosophicos. Quales homines quomodo et educentur et instituantur sequenti disputatione exponitur, quam Adimantus ad justitiae naturam cognoscendam non inutilem fore sperat.

Est igitur, inquit Socrates, educatio in partes distributa duas, quarum quae ad corpus pertinet, gymnastica, quae ad animum, musica appellatur. Exorditur autem educatio a musicae institutione, in qua cum orationes contineantur, quae aut verae sunt aut falsae, falsis infantes prius instituere solemus. Omnium negotiorum autem gravissimum est initium maximeque in parvulis tenerisque pueris, qui quae semel animo perceperint, conservabuntur neque elui poterunt. Quamobrem qui fabulas componunt inspiciendi sunt, quasque bene composuerunt, admittendae, quas male, excludendae. Quae autem nunc componuntur, earum maxima pars improbanda est, in quibus de deis multa mala turpia injusta insunt. Non enim quae de Urano et Crono traduntur, juventuti narrari

decet, nec Jovem summam injustitiam perpetrantem patremque injustum omni modo punientem nihil miri facere videri, sed facere eum, quod primis summisque deorum faciendum sit. Nec reliqui dei atque heroës quomodo inter se proelientur pugnent insidientur decipiant, aut per imaginem aut simpliciter, quoniam omnino non vera sunt, audiat juventus, atque etiam si vera essent, poëtae ea componere, matres nutricesque infantibus ea narrare vetandae essent. Quodsi quis quaesiverit quaenam fabulae pueris referre juvet, lineamenta quaedam illarum descriprisse satis erit. Ac primum quidem deus, quippe qui bonus sit, non omnium rerum, sed bonarum tantum auctor habendus est, malarum aliae sunt quaerendae causae. Nam „Jovem esse procuratorem rerum bonarum et malarum“ aut „deis instigantibus sacramenta ac pactiones violata esse“ aut „deum in culpam ducere, quibus domum funditus evertere velit“: ea de deis tantum juste recteque facientibus in civitate, quae quidem bene constituta sit, neque cuiquam dicenda sunt neque audienda pueris senibusve, quoniam nec pia nec utilia nec inter se convenientia sunt. Altera lex poëtis imponenda est, ut deum fingant simplicem, qui non magus sit neque ex sua ipsius figura excedere velit. Deus enim ab nullo alio mutari potest, quippe qui omnium validissimus atque optimus sit, neque ipse se mutat, quoniam se ipso nec melior pulcriorque fieri potest nec deterior fieri studet. Quod si quis dixerit, non mutari quidem deum sed videri nobis esse mutatum, respondendum est, deum neque verbo mendacem esse neque re. Hoc enim quasi verum mendacium omnes dei hominesque oderunt, et ne illud quidem mendacium, quod, cum solum animi statum imitetur et posteriorem tantum imaginem praebeat, non ita grave, multis etiam utile est, in deo inerit non habente cur mendax sit. Omni igitur in genere deus sine mendacio ac fraude est, neque fit alius neque alius fieri videtur neque ulla hominibus somnia aut signa mittit. Quicunque autem poëtae homines a deis decipi faciunt, non audiendi sunt sed neglegendi, si quidem a custodibus postulatur, ut deos colant deorumque quam simillimi fieri studeant.

Tertii libri argumentum.

Ex secundo libro apparet poëtas multum valere ad juvenum mores excolendos atque emendandos, nullaque alia de causa tam prolixe de arte poëtica dictum est. Jam alia adduntur praecepta, secundum quae poëtis aliisque dicendum sit, magis tamen ita, ut quales fieri juvenes oporteat explicetur. Fortes enim eos esse opus est neque mortem magis vereri quam servitutem, quare poëtis cavendum est, ne, quae vulgo de Orco Cocyto Styge narrentur quaeque ipsis nominibus summum omnibus terrorem incutiant, tradant. Nec nimis molles debent esse aut queri de rebus mediocribus, quare poëtae deos hominesque lamentantes inducere vetantur. Nec nimis risui se dare juvenes decet nec poëtis in risus cachinnosque deos effusos esse dicere licet. Ut autem deos veros esse vidimus nec habere cur mendacio utantur, sic omnibus, qui sub imperio sunt, verum semper dicendum est, fallere alios nisi imperanti aut praefecto permissum est nulli. Praeterea temperantia juvenes nostri egent, quae in eo cernitur, ut imperantibus sint obedientes, ipsi autem cupiditatibus ad cibum, potionem, res venereas pertinentibus imperent. Multae enim res ejusmodi a poëtis narrantur, quae quamvis voluptate audientes afficiant, temperantiae tamen vel maxime repugnent. Sed quaecunque clari viri fortiter et constanter aut geserunt aut tulerunt aut dixerunt, ea juvenes nostri videant et audiant, omniumque maxime Diomedes eis proponendus est, cum dicat:

„Τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης".

Hoc autem non licet dicere donis deorum regumque gratiam conciliari, quippe quod custodes a morum integritate abducere possit, neque alia vitia poëtis laudanda sunt, cum in aliis tum in deis deorumque filiis. Quae enim quis de his mala audiverit, ea sibi ipsi facile indulgebit, quare fabulae tales aut pro falsis habendae et narrandae sunt aut omnino opprimendae. Jam exponendum erat Socrati, quomodo poëtis de hominibus dicendum esset, qua tamen de re non judicaturus est, priusquam de justitiae natura inter ipsos convenerit, quoniam ob id ipsum poëtas et fabulatores vituperare in animo habet, quod de gravissimis hominum rebus prorsus perverse judicent, multos injustos esse felices, justos autem miseros; utile esse in occulto injuriam facere; justitiam alienum esse bonum et suum ipsius damnum. Hac igitur quaestione in

posterum dilata jam de dictione agendum sibi esse putat, quae quid sit nescienti Adimanto Socrates sic explicat: Fabulae omnes sunt narrationes rerum praeteritarum aut praesentium aut futurarum. Narratur autem aut simpliciter aut per imitationem aut per utrumque. Imitationem dico, si verba cujusdam referens poëta non, dixisse quendam, sed, quae dixit, narrat illius dictionem quam potest maxime imitans, quasi non sit poëta sed ipse orator. Potest enim narratio omni imitatione carere, ut in dithyrambis omnia verba ipsius poëtae sunt, potest conjuncta esse cum imitatione ut in poëmate epico, potest fieri ut omnia, quae solius poëtae sint et orationibus intermisceantur, absint solaeque orationes relinquantur, velut in comoediis et tragoediis. Hac igitur de re agendum est, num poëtis liceat imitari, a qua de imitando quaestione Socrates ad custodes reversus num his mimicis esse liceat quaerit. Vidimus inquit, unum negotium quemque bene facere, multas vero res capessentem in nullo quidquam proficere. Eadem ratio de imitationibus statuenda est, ut natura humana unam rem bene imitetur, multas non possit imitari. Sed si potest fieri, nulla omnino imitatione utendum sed suum cuique negotium exsequendum est. Custodes igitur ut alii opifices ab omnibus negotiis liberi sint oportet neque alind quidquam efficiant, quam quod eorum opus est, libertatem civitatis. Quae quatenus res non talis est, qualem reliqui opifices fabricantur, sed imago, custodibus licet esse imitatoriis; quatenus autem custodes opifices sunt, nihil omnino admirentur nisi viros fortes constantes pios liberales, illiberalia vero ac turpia perficere aut imitari vetandi sunt, ne illa in mores naturamque transeant. Simili modo in poëta, qui quidem sapiens sit, plus narrationis quam imitationis inerit. Cum enim narratio ad orationem aut actionem boni viri deducitur, quasi ille ipse sit, eam referre volet neque ejus imitationis eum pudebit, in pejorum formas intrare se indignum ducet. Malus autem omnes res imitabitur sive voce sive habitu, et narrationis merae non multum habebit. Quod si apta dictioni harmonia aptusque rhythmus tribuenda sunt, in altero dictionis genere illa vix umquam mutabuntur, alterum omnibus harmoniis rhythmisque egebit. Nobis autem vir duplex aut multiplex, quamvis jucundus et mirus sit venerandusque nobis videatur, excludendus est, quod nostrae civitati non convenit, in qua unum quisque agit. Contra poëta simplex et acerbus, qui, quod sapientia tantum imitatur, in immixtis ponitur, in civitatem nostram quamvis minus jucundus utilitatis causa recipiendus est,

ut qui eas leges sequatur, secundum quas milites nostri educandi sint. Jam accuratius de cantus carminumque modis dicturus tres res distinguit: orationem harmoniam rhythmum. De oratione sive de verbis canendis non aliter statuendum est quam de oratione, quae non canitur, harmonia autem et rhythmus orationem sequi debent. Itaque harmoniarum eae, quae flebiles aut molles sunt aut quae in compotationibus adhibentur, removendae sunt, relinquendae tantum duae, altera, quae bellicosi viri sonos et prosodias imitatur vulnera mortem omnesque casus fortiter subeuntis, altera, quae quieto homini convenit, qua aut ipse deo supplicet et hominibus persuadeat aut ab aliis flectatur ad sapientes et modicas actiones. Ut autem non variis harmoniis egemus, sic etiam ea instrumenta musica, quae multas habent chordas, ejicienda sunt, relinquendae tantum cithara lyra syrinx, ut civitas nostra, quam luxuriari diximus, quasi denuo purgetur. Rhythmorum autem non qui varii sunt, sed qui compositam ac fortem vitam imitantur, recipiendi sunt, rejiciendi omnes, qui illiberalitatem superbiam furorem decent. Bonos enim mores dictio, dictionem harmonia et rhythmus sequantur oportet, bonam autem harmoniam rhythmumque sequitur decentia. Nec solum a poëtis verum etiam a reliquis artificibus postulandum est ut a malo intemperanti illiberali deformi abstineant: eos tantum artifices desideramus, qui natura bonum decensque indagant, ne custodes nostri in vitiositatis imaginibus instituti, quasi qui in malo pascuo versentur, magnum animo suo malum latenter colligant, sed tamquam in salubri regione habitantes, ubi bona tantum opera oculis et auribus offerantur, statim a pueris ad similitudinem, amicitiam, concentum cum pulcra oratione adducantur. Germana igitur educatio optime fit per musicam, quod harmonia et rhythmus animo decus ingignunt, quodque, qui in musica bene instituitur, pulcra omnia, licet causam non cognoverit, laudare atque animo percipere, turpia vituperare et fugere cogitur, multo etiam magis, ubi primum causae sibi conscius est. Vere autem musicus non potest appellari, nisi qui imagines temperantiae fortitudinis liberalitatis cognoverit ipsasque illas virtutes animo receperit. In quo igitur boni mores cum bono corpore conjuncti sunt, is pulcherrimum spectaculum eis, qui spectare possunt, praebebit omnibusque musicis amabilis erit. Veri autem amoris est hominem bene moratum pulcrumque non per libidinem et furorem sed modice et quasi musice amare, ut cujus animus pulcri imaginem reddat. Quaestio autem de musica jam nobis finienda

est, postquam ad eum finem adducta est, quo adducenda erat: artis enim musicae finis pulcri amor esse debet.

Post musicam juvenes gymnastica instituendi sunt, quae tamen illi postponenda est, cum non probum corpus sua virtute animum excolat sed animus perfectus sua virtute quam optimum reddat corpus. Ut autem in musica, sic etiam in rebus ad gymnasticam pertinentibus modus semper adhibendus est, id quod maxime in eo cernitur ut juvenes simplices sint in potionibus ac cibis neque umquam licentius vivant. Utrique enim arti idem nocet, idem prodest. In musica vidimus cupiditate rerum variarum licentiam, simplicitate temperantiam animi oriri: similiter in gymnastica nimia ciborum varietas malam, simplicitas bonam corporis parit valetudinem. Ubi autem licentia morbique crescunt. magis in dies artibus judiciaria et medica opus erit, quo nullum certius argumentum malae et turpis educationis potest esse. Omnes enim morbi, qui ex mollitie aut luxuria nascuntur, contra naturam ac turpes sunt, neque in civitatibus bene constitutis singulis hominibus aegrotandi tempus datur, sed suum cuique negotium exsequendum est, diviti non minus quam pauperi. Vix quidquam est, quod hominibus magis quam nimia corporis cura obsit sive ad negotia domestica sive ad res militares sive ad civitatem administrandam. Imprimis autem illa ad aegrotandum proclivitas a litteris et studiis omnibusque cogitationibus abstrahit, cum semper capitis dolore aut vertigine illi laborare sibi videantur. Solis igitur hominibus natura et vitae ratione sanis, qui certo quodam morbo laborant, ars medica auxilium ferre debet, non illi, qui omnino sanari non possunt, remediis tentandi sunt, qui nec sibi ipsis nec civitati utiles futuri sint. Medicos autem, nisi a pueris, praeterquam quod artem discant, etiam quam plurima et pessima corpora usu cognoverint et ipsi quam plurimos morbos subiverint, numquam futuros esse bonos concedendum quidem est, sed medicis non egemus nisi eis, qui corpora mala mori patiantur, eos vero qui et animo et corpore insanabiles sunt ipsi interficiant, eosque tantum curent, qui et animo et corpore utuntur bono. Judicem autem, quippe cujus animus imperet animo, non oportet in malis injustisque hominibus versatum eorumque consuetudine usum ipsumque in omnibus injuriis exercitatum esse, sed malorum morum expers esto, qui bene recteque jus agere velit. Non enim usu sed sapientia quid in aliis insit justi aut injusti cognoscit. Juvenes autem musica illa simplici instituti, qui suum et proprium jus habent,

omnino cavebunt ne arte judiciaria egeant, similique modo, nisi necessitate coacti erunt, arte medicorum carere volent, quoniam aut corpus per se bonum aut nullam omnino vitam expetunt. Quamquam ipsae corporis vires minime eis cordi sunt ut athletis, sed nullo alio consilio exercitationes et labores suscipiunt quam ut *τὸ θυμοειδὲς* excitent atque confirment. Inservit igitur gymnastica musicae, cum corpus animi causa excolat, non tamen ita ut plane in illius potestate esse putanda sit. Efficit enim ut illa non justo mollior fiat, ipsa ut minus dura atque aspera sit efficit musica. Ut igitur gymnastica non ad ipsum corpus pertinet, sic ne musica quidem ad ipsum animum pertinere videtur, sed duae illae artes inter se conjunctae id spectant, ut nimia mollitie nimiaque feritate remotis *τὸ φιλόσοφον* et *τὸ θυμοειδὲς* in uno quoque excitentur. Quicunque igitur musicam cum gymnastica pulcherrime miscet rectaque cum temperatione, is summo jure nobis perfecte musicus ac bene temperatus habendus est. Nec civitas nostra, si salva esse vult, tali rectore seu moderatore umquam carere poterit.

Jam vero musicae et gymnasticae finibus constitutis, quinam in civitate regnantes quique regendi esse debeant Socrates exponit. Regnent enim oportet qui aetate maxime provecti sunt, eorumque ei, qui optimi civitatis curatores et custodes ejusque amantissimi fore videntur. Quaerendi autem tales sunt, qui consilium suum nihil aliud faciendi, quam quod ad civitatis salutem pertineat, optime conservare possint. Itaque inde a pueritia varia eis negotia, labores molestiae certamina formidinesque imponenda sunt, quae facillime consilium illud obliterare furari eludere possint; quique a consilio suo non depelluntur neque decipiuntur, ei deligendi, alii omnes secernendi sunt. Illis jam verorum perfectorumque custodum nomen impertiamus, quos autem antea custodes appellavimus, hos nunc adjutores vocemus, ut qui regnantium jussa atque consilia juvent. Cum autem in civitate interdum mendacio uti licere viderimus, hoc maxime civibus persuadeatur oportet, non in terra eos alitos et educatos esse, sed postquam sub terra ficti alitique et armis instructi sint, ad nos provenisse, itaque et terrae matri eos consulere atque opitulari debere et reliquos cives ut fratres suos ab omni periculo defendere Qui vero illorum ad regnandum apti sint, eis deum fingentem nascentibus aurum admiscuisse, ut maximi sint pretii, adjutoribus autem argentum, ferrum et aes agricolis reliquisque opificibus. Cum autem e similibus similes nasci soleant, interdum dissimiles, spectandum

esse ut, si forte ex ferreis aurei aut argentei gignantur, ad custodes atque adjutores efferantur, neu, si aurei argenteos aut ferreos aëneosve filios procreaverint, apud parentes remaneant sed ad sui similes mittantur, quod regnante argenteo aut ferreo urbem perituram esse oraculum sit. Quod omnibus, inquit Socrates, civibus liberisque eorum persuasum esse debet, ut civitati consulere et alii aliorum curam gerere velint. Nos autem terrigenas illos armatos, et principes et adjutores protrahamus, ut castris locum opportunissimum deligant, unde et interiores, si qui legibus nolint parere, cohibeant et exteriores arceant, si hostilis quasi lupus gregem aggrediatur. Aedificiis autem utantur non quaestuosis sed militaribus, quibus aetate et hieme tecti sint. Ut enim nihil pastoribus perniciosius ac turpius est quam tales ita alere canes, qui ferocia seu fame seu mala consuetudine incitati, dum ex canibus lupi fiunt, ipsis ovibus malefaciant, sic omni modo nobis cavendum est ne adjutores, cum civibus superiores sint, non jam comes socii sed agrestium dominorum similes esse velint. Cujus cautionis maxima quidem pars in ipsorum inest bona educatione. sed addendum educationi est, quo evadunt comes et inter se et in cives sibi custodiendos. Hae igitur eis leges dicendae sunt, ne quis eorum privatam possideat rem familiarem neu cui aedificium aut aerarium sit, quod subire non cuique liceat: quae autem ad vivendum necessaria sint, ea reliqui cives ordine ut custodiae mercedem eis suppeditent, ne illi ulla re aut careant aut abundent; utantur autem ut milites communibus cenis neve aurum argentumve sibi quaerant. Humanum enim aurum argentumve eis, in quorum animo divinum insit, non opus esse nec fas mortalis auri possessionem possessione divini conjungere et polluere. Neu sint umquam sub eisdem trabibus aurei argenteique ac ferrei, sed immixtum unum quidque servari debet, ut salva omnis sit civitas. Sed ubi primum agros domos nummosque privatos sibi quaesiverint, agricolae esse videbuntur et rerum domesticarum administratores pro custodibus sociisque aliorum, et magis sibi quam civitati providere.

Quarti libri argumentum.

His legibus, quibuscum Glauco consentit, constitutis Adimantus ita occurrit, ut illo modo eos, quorum re vera civitas sit, nullis omnino civitatis commodis frui dicat quibus reliqui fruantur, qui agros aurum argentum possideant, magnas pulcrasque domos aedificent, privata deis sacrificia faciant, quibusque ad beatitudinem nihil omnino desit; sed esse illos adjutorum mercenariorum similes, qui, dum in urbe excubias agant, ne stipendium quidem accipiant sed victu contenti esse debeant. Cui Socrates non id se in civitate condenda egisse respondet, ut unus aliquis ordo sed ut tota civitas quam maxime felix esset. Ut enim justum in civitate bene constituta perspicuum fiat, convenientia singulis tribuenda totamque pulcram reddendam esse, non autem talem felicitatem custodibus dandam, qua non custodes sed omnia alia fiant. Sed cum reliqui, inquit, opifices in suo quisque permaneant opere oportet tum rectores legum ac civitatis, qui si custodes non sunt, sed esse videntur, fieri non potest quin totam penitus civitatem perdant. Non sua custodibus et adjutoribus felicitas spectanda est, sed ut tota civitas crescat et bene instituta sit, singuli autem ordines non plus felicitatis assequantur quam natura ferat. Sed ne operariis quidem divitibus fieri licet aut pauperibus, quoniam et divitiis et paupertate negotia ipsique operarii depravantur. Utrumque igitur ne umquam in civitatem irrepat custodibus diligenter cavendum est. Sed si eis cum divitioribus bellum gerendum erit, ut divitiis et copia hominum inferiores, sic belli exercitatione et vi superiores erunt, praesertim si cum duabus civitatibus eis pugnandum erit. Alteri enim civitati nostrae se subjungere non dubitabunt, cum nos aurum argentumve non appetamus sed res illas eis qui nobiscum faciunt libenter permittamus. Aliorum autem opes si quando in unam civitatem collatae erunt, periculum quidem nobis, qui pauperes simus, inde fore videbitur: non est tamen civitas qualem nos descripsimus sed plures civitates, utique duae, pauper altera, altera dives. Quibus si ut multis obviam ibimus, alterorum res potestatem ipsosque si alteris dare parati sumus, multis semper sociis utemur, hostibus paucis. Reputantibus igitur principibus nostris quousque civitatem amplificare quantaeque quantam terram tribuere liceat, is finis proponendus est, ultra quem si augeatur non una sit sibique ipsa sufficiens. Ut

autem antea statuimus, si qui ab custodibus natus sit malus, ad alios dimittendum, si qui bonus ex aliis, in numero custodum ponendum esse, sic, ad quod quisque negotium aptus est, ad id adducendus est, ut tota quoque civitas fiat una, non plures. Haec aliaque omnia ut recte gerantur bona institutio efficiet. Qua ubi primum bene temperati facti erunt, ipsi intellegent uxorum possessionem, matrimonia, liberorum procreationem inter amicos communia esse debere. Itaque nihil magis cavendum est quam ne in gymnastica et musica novae res instituantur, cum teste Damone musicae modis mutatis gravissimae civitatis leges non queant esse immutatae. Custodibus igitur quasi arx exstruenda est in musica, quae in unius hominis consuetudinem ac studia ut primum influxit, jam ad civium commercium et ad leges civitatesque multa cum impudentia, si male temperata est, procedit, dum publicam vitam privatamque pervertat. Itaque ipsi ludi magis legitimi sint oportet, ut statim initio educationis pueri bonum ordinem animo percipiant et viri fiant legitimi gravesque. In quibus cum nativus quidam decor insit, ipsi, legibus non perscriptis, quomodo senes reverendi, parentes colendi sint scient, et quae ad corporis habitum pertinent. Nec magis eis ut viris probis bonisque in negotiis civilibus forensibus aliis leges imponi opus erit, si quidem musicae leges per totam vitam servabunt. Sin multas semper leges ferentes vitam degant et in ea vita felicitatem ponant, aegrotis similes erunt, qui cum prae nimia luxuria turpi suo victu desistere nolint, medicum verum dicentem sibique mederi tentantem irrident, obsequentem autem sibi et per intempestivam sedulitatem voluntati suae satisfacientem probant. In numero eorum, qui illo modo semper leges ferunt mutant tollunt, multi sunt, qui, quamquam nihil omnino civibus prosunt, tamen, cum a plerisque laudentur, se esse utiles et civitatis gerendae scientissimos persuasum habeant. Quibus non tam succensendum quam venia danda est, quod cum civitatis malis mederi studeant, revera Hydram se secare non cognoverunt. Tales igitur leges, si non noxiae, at inutiles certe sunt. Reliquum est, ut de templis aedificandis sacrisque faciendis, de deis daemonibus heroibus venerandis deque mortuis rite componendis praecepta dentur, quibus datis legumlatio nostra perfecta erit.

Civitatem igitur nostram, inquit Socrates, condidimus, jamque nobis cum Polemarcho reliquisque justitia et injustitia in illa quaerendae sunt et quomodo altera ab altera differat et utra ipsa per

se felicitatem afferat. Sed a Glaucone monitus sibi ipsi promissis suis stanti justitiam omni modo juvandam esse, ad inveniendam eam hac ratione utitur. Siquidem, inquit, civitas nostra perfecte bona est, patet eam esse sapientem fortem temperantem justam. Quarum virtutum si tres in civitate inventae erunt, quarta in eo quod superest inerit. Ac primum quidem sapientia civitatis, quae non certae cujusdam rei sed ea scientia est, quae civitati ipsi et toti bene consulit, qualis et in se ipsam et in alias civitates esse debeat, in regnantibus inest, quos perfectos custodes appellavimus, et solum per hunc ordinem civitas boni consilii particeps et sapiens est. Qui cum prae reliquis, qui aliquam habent scientiam, paucissimi sint, civitatem natura per minimam suam partem sapientem esse intellegitur. Fortitudinem autem sive perpetuam conservationem legitimae de rebus timendis opinionis civitas per eam partem habet, quae pro ea propugnat et in bellum proficiscitur. Sunt autem milites nostri musica et gymnastica ita instituti, ut leges sequentes integram de rebus timendis et non timendis opinionem servare velint, quoniam ut lana alba et tractata colorem purpureum, sic leges illi ita imbiberunt et quasi suxerunt, ut qua quisque de rebus illis opinione imbutus est, ea libidine dolore metu exstingui non possit. Temperantia vero, quae in eo posita est ut cupiditatibus et se ipso quis superior sit, animum considerare nos jubet, cujus pars melior si pejorem partem superat, temperantiam dicimus. Nostrae quoque novae civitatis temperantia in eo cernitur, quod melior ejus pars pejore superior est. Inveniuntur enim maxime in vulgo multae variaeque cupiditates et voluptates, quas ei, in quibus simplices modicaeque cupiditates sunt, cohibent. Postulat autem temperantia ut concordes inter se sint regnantes et regendi, ideoque in utrisque eam inesse statuitur, quamquam sapientia et fortitudo uni utraque ordini tributa est. Per totam est diffusa civitatem omnibusque civibus, infirmissimis firmissimis mediis, ut inter se consentiant imperat, ut, si recte inter inferiorem et superiorem convenit utrum regnare deceat, concentus ille temperantia appelletur. Jam vero, ubi haec tria inventa sunt, nobis ut venatoribus fruticetum undique circumsistendum est et animadvertendum, ne usquam justitia nos fugiat et e conspectu nostro recedat, quamvis locus difficilis sit et obscurus. Sed res nobis ridicula accidit: quod enim quasi ante pedes nostros jacebat, non invenimus sed procul prospeximus. Facere enim, quod ab initio in condenda civitate solum faciendum erat,

aut genus tale justitia est. Statuimus enim unum quemque in civitate unum negotium, cui aptus sit, debere tractare. Quod si certo quodam modo fit, justitia esse videtur, quae efficit ut illae aliae tres virtutis partes in civitate insint et conserventur, et quasi principium et fundamentum totius virtutis est. Suum autem quemque facere neque aliena tractare, hoc omnibus justum videri et omnes hoc appetere patet. Faber enim si sutoris, sutor si fabri negotium capesset, hoc civitati non ita multum nocebit. Sed si, qui natura opifex aut caupo est, divitiis, copia hominum, robore elatus ad homines militares aut militarium quis, quamquam non est dignus, ad principes transire volet, aut si unus aliquis aliorum negotia perficere conabitur: haec trium generum *πολυπραγμοσύνη* jure summum maleficium et injustitia appellatur, cum opificum adjutorum custodum *οἰκειοπραγία* justitia sit justamque reddat civitatem.

Quamquam priusquam hanc veram esse justitiae naturam inter nos conveniat, congruere eam cum singulorum hominum justitia cognoscendum est. Sed si alteram cum altera composuerimus, fieri non poterit quin justitia ut ex pyritis eniteat et, postquam perspicua facta est, in nobis ipsis confirmetur. Non potest, inquit, justus vir ipso justitiae genere a justa civitate differre, sed alter alteri similis est. Itaque a singulari quoque homine, qui justi nomine dignus ducendus sit, postulabimus ut eadem illa tria genera in animo habeat et eosdem eorum affectus. Sed tres illas partes etiam in unoquoque nostrum inesse fatendum est, cum non aliunde in civitatem venire potuerint ratio ira cupiditas. Ut autem intellegatur utrum partium illarum una discamus, altera irascamur, tertia voluptates ad victum atque procreationem pertinentes appetamus an toto animo singulas res conficiamus, exorditur Socrates ab sententia exemplis illustrata et confirmata, non posse idem eodem tempore eadem sui parte aut eodem modo contraria vel facere vel pati vel esse. Contraria enim inter se sunt annuere et abnuere, appetere et aspernari, velle et nolle, inque altero appetendi genere ponendae sunt cupiditates, quarum maximae sunt sitis et fames potionem ac cibum appetentes. Fit autem saepe ut sitiens quis bibere nolit, ex quo intellegitur esse in ejus animo parti bibere jubenti oppositam partem hoc prohibentem illaque superiorem. Duae igitur partes illae cum contraria faciant, recte contrariis et diversis eas nominibus, alteram, qua animus ratiocinatur et cohibet, rationalem, alteram, qua sitit et esurit et circa alias cupiditates trepidat,

irrationalem et concupiscibilem partem appellamus, quae expletiones quasdam et voluptates amat. Ne irascibilis quidem pars alteriutri natura aequalis est sed ab utraque separata. Cupiditati quidem iram ut aliud alii posse repugnare in Leontio manifestum factum est. Nec minus ira, quamquam, ut adjutores imperantibus, canes pastoribus opitulantur, sic rationi contra cupiditatem opitulari et ab ea stare debet, a ratione ut pars privata disjuncta est. Videmus enim vel infantes, ubi primum nati sint, statim irae plenos esse, rationis autem aut nihil omnino habere aut sero admodum assequi. Satis igitur constat eadem totidemque genera in civitate, eadem in singulorum hominum animo inesse genera et easdem in utrisque facultates. Cum enim civitatis justitia in eo cernatur ut una ejus pars sapiens, altera fortis sit, tertia pareat, hominem justum dicemus, si sapiens animi pars regnat, fortis pars ut socia illi paret et talis inter utramque recta musicae et gymnasticae temperatione concentus factus erit, ut conjunctae inter se parti tertiae praesint, quae majorem animi partem capere et insatiabilis videtur esse. Quae ne expletis corporis voluptatibus, si multa potensque facta futura sit, officio neglecto non jam parere sed ipsa toto animo regnare velit totamque omnium vitam conturbet, duae illae partes praestabiliores cavebunt. Concupiscibilis igitur pars cohibenda est, ut imperium soli rationali parti permittendum esse omnibus persuasum sit. Iam singulas virtutes easdem esse in homine quas in civitate apparet. Justitia autem, qualem in civitate descripsimus, hominem quoque justum, qui ab omnibus injuriis ac maleficiis abstineat, efficit.

Hoc modo civitatem condentes simul principium et imaginem justitiae et quidem verae justitiae assecuti sumus, quae non circa externam versatur *οἰκειοπραγίαν*, sed ad internum hominem pertinet, cujus ut singulae vires suum quaeque negotium faciant, suum cuique tribuant neque aliena tractent, efficit utque res suas ipse bene componat, se ipso superior et amicus sibi fiat, denique ut tres suas partes, ut qui harmoniae voces, bene temperet. Justum igitur hominem justamque civitatem et justitia quid in utroque sit invenimus: restat ut injustitiam quaeramus, qui haud dubie tumultus quidam trium illarum partium est et unius partis, quam natura parere jubeat, superbia et praevaricatio adversus totum animum, ut in eo regnet. Comparari autem potest cum mala valetudine, quae ipsa quoque in eo cernitur, ut alia pars corporis contra naturam alii imperet, nec minus justitiam cum bona valetudine com-

parare licet, per quam singulae corporis partes secundum naturam aliae regnant aliae parent. Jam si quaesiverimus utrum sit utilius justa pulcraque facere et justum esse an impune injuriam facere et injustum esse, ridicula quidem dubitatio videtur, cum, corporis natura perdita si vitam non vitalem esse putemus, multo etiam minus eo ipso, per quod vere vivimus, perturbato et perdito jucunda nobis vita sit futura, sed tamen quaestione illa minime desistendum est.

Agitur autem non jam de solis justitia et injustitia, sed de virtute et vitiositate, sive de bono et malo, quorum illius unum, alterius multa genera sint. Ex his commemoratione dignissima quattuor sunt, ea quae injustis et malis rerumpublicarum formis similia sunt, justi autem et boni unum genus in sola nostra civitate conspicuum fit, quam, unus si regnat, regni, sin plures, aristocratiae nomine appellamus.

Invito me haec peccata in primam scripti mei plagulam subrepserunt, quae ob nimiam typothetarum celeritatem in ipso contextu corrigi non potuerunt:

P. 4 v. 13 sq.	scriptum est	studet. Ipse	lege	studet. Ipse
— v. 6 a fine	„ „	dialectiae	„	dialecticae
P. 5 v. 2 a fine	„ „	Socrati	„	Socrates
P. 6 v. 1	„ „	sententiampue	„	sententiamque
P. 8 v. 12 a fine	„ „	jnstitia	„	justitia
P. 12 v. 12 a fine	„ „	Hauc	„	Hanc
P. 13 v. extremo	„ „	hauc	„	hanc
P. 14 v. 14 a fine	„ „	docendos se — esse	„	doceri se — opus esse
— v. 10 a fine	„ „	coërcendam esse	„	coërceri posse et coërcendam
P. 16 v. 19 a fine	„ „	jnstus	„	justus [esse

Vita.

Natus sum Longosalissae, in oppido Thuringiae, pr. Id. Febr. a. 1849. Nomina mihi indita sunt Ludovicus Gustavus Albertus Hochheim. Fidei addictus sum evangelicae. Parentes meos, patrem Christianum, matrem Bertham e gente Schlagenberg, in educationem et institutionem meam maximam contulisse diligentiam profiteor. Elementis accurate inde ab initio sexti anni a magistris publicis privatisque instructus quattuordecim annos natus in scholam Portensem missus sum, ubi per lustrum dimidiumque annum per viros doctissimos clarissimosque, Petrum Keilium Steinhartum Corsenium Kobersteinum, artium ingenuarum amor meus incitabatur. Maxime autem litteras Graecas et Latinas, quas in schola illa semper optime floruisse constat, adamavi, nec solum lectione veterum scriptorum sed etiam commentariis in eos aut Latine aut Graece scribendis eam linguarum illarum scientiam intelligentiamque adeptus sum, quo uterer firmo studii academici fundamento. Ultimo scholae semestri reliquis operibus solutus longum, quod dici solebat, opus confeci, cui inscripsi: „Fabula de Oreste quomodo a poëtis Graecorum tractata sit", idque discedens ibi reliqui. Studium autem meum diligentiamque praeceptoribus probata fuisse inde apparet, quod a classe tertia superiore per omnes classes primus discipulorum fui et semel praemio ornatus sum. Mense Oct. a. 1868 in universitatem Berolinensem receptus sum, ubi per septem semestria illustrium virorum scholas frequentavi: Bonitzii Droysenii Harmsii Hauptii Hübneri Kirchhoffii Massmanni Messneri Müllenhoffi Semischii Trendeleuburgi Werderi. His semestribus absolutis per dimidium fere annum in paedegogio Ostraviensi praeceptoris munere functus sum, ubi si in nulla alia re, at in arte paedagogica certe multum profeci.